

STATUTUM XXIV.

De Concordia servanda et discordia vitanda.

Ut concordiam unitas, ita discordiam dualitas inducit. (colligitur ex. can. In Apibus. 7. 9. 1). Statutum igitur quatenus inter Clarissimos Professores Domum hanc inhabitantes concordia, quae res parvae crescunt, discordia vero maxima dilabuntur, servetur, unitas et pax, quae est vinculum charitatis. (c. Novit. §. Licet autem. de Judic.) ab omnibus inviolabiliter teneatur, discordia, rixae et dissensiones evitentur, ac ille, qui eas seminat, vel aliquando seminare audebit pro primo moneatur, pro secundo muletetur, pro tertio gravioribus poenis compescatur. Qui enim societatem fraternitatis discordiae peste contaminat, Deum, qui Charitas est tanquam Judas prodit. (can. Absit. 11. 9. 3).

STATUTUM XXV.

De reverentia Majorum et Minorum observantia.

Siquidem non solum in Communitatibus, verum etiam ubi vis locorum Majoritas et Superioritas attendatur, Minoresque Majoribus debitam reverentiam praestare debeant, idque vel in obsequio exhibendo. (can. et subdiacono. dist. 93.) vel reverentiam (ad quam et qualem tenetur Filius Patri) ex justitia impendendo. (can. Est ordo. 33. 9. 5.) vel in sedendo et stando. (can. 20. et 24. dist. 93.) in diligendo. (can. Esto. dist. 95.) eos temerarie non arguendo, vel judicando. (can. Nolite. dist. 21.) defectus eorum non revelando, sed potius cooperiendo. (can. In scriptis. dist. 96). Ideo et in hac inclita Domo nostra haec omnia, quae immediate allegatis canonibus mandantur stricte et sub poenis arbitrariis observari statutum. Volumus nihilominus et sub iisdem poenis praecipimus, ut Majores sint in omnibus exemplo Minoribus. (can. Qualis. 8. 9. 1. can. Nolo. 12. 9. 1. et c. Cum ex eo. de Poenit. et Remiss.) eosdem in bonis imitari etiam non dignentur. (can. Constantinopolitana. dist. 22.) oppositionem illorum, vel unius ex illis, modo illam juste fuisse et esse oppositam ostendant, vel aliquis eorum ostendat (per tex. c. Ex parte. et